



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola III. Gregorii Papae I. Ad Pavlum Scholasticvm. Maurentium
magistrum militum, & Petrum subdiaconum commendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

tiam pertrahant, nullius vel minæ vel amicitiae ab itineris rectitudine deflectant. Quam sit vita brevis, aspici-
 ad quem quandoque ituri estis iudicem, qui iudiciariam
 potestatem geritis, cogitate. Solerter ergo intuendum est,
 quod cuncta lucra hic relinquimus, & solas dispendioso-
 rum lucrorum causas nobiscum ad iudicium deportamus.
 Illa ergo sunt nobis commoda quærenda, quæ nequa-
 quam mors adimat, sed mansura in perpetuum præsentis
 vitæ finis ostendat. De frumentis autem quæ scribitis, lon-
 ge aliter vir magnificus * Ciridanus asserit: quia solummo-
 do tanta transmissa sunt, quæ pro transactæ indictionis de-
 bito ad replendum sitonicum sufficerent. De qua re cu-
 ram gerite: quia si quid minus huc transmittitur, non vnus
 quilibet homo, sed cunctus simul populus trucidatur. Ad
 regendum vero Siciliae patrimonium, talem, vt æstimo,
 virum, Deo auctore transmissi, cum quo vobis, si, vt ego ex-
 pertus sum, recta diligitis, omnino conueniat. Quod autem
 me vt vestri memor esse debeam admonetis, verum fateor, si
 ex antiqui hostis insidiis iniustitia nulla subrepat, tantam
 gloriæ tuæ modestiam didici, vt esse non tuus erubescam.

EPISTOLA III.

GREGORII PAPÆ I.

AD PAVLVM SCHOLASTICVM.

Maurentium magistrum militum, & Petrum subdiaco-
 num commendat.

Gregorius Paulo scholastico.

QUIDQVID mihi ex honore sacerdotalis officii extranei
 arri-
 det, non valde penso: de vobis autem mihi hac ex
 re arridentibus non minimum doleo, qui desiderium meum
 plenissime scitis, & tamen profecisse me creditis. Summus
 enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod vo-
 lui: si voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis,
 perficere optatæ quietis perceptione valuisssem. At quia
 nunc in ciuitate teneor Romana, honoris huius vinculis
 religatus, habeo aliquid quod etiam vestræ gloriæ exultem.
 Et quia viro excellentissimo domno Leone exconsule ve-
 niente, vos in Sicilia remanere non suspicor: & cum ipse

Concil. Tom. 13.

X ij

De pontifi-
 catu recu-
 sando infra
 hoc libro
 epist. 4. 5. 6.
 7. 24. & 25.

quoque tuo honore religatus, Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego pariar agnosces. Veniente autem viro magnifico domno Maurentio chartulario, ei quæso in Romanæ vrbis necessitate concurrite: quia hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur. Sed seditione militum, interno periculo grauius vrgemur. Petrum vero subdiaconum nostrum, quem pro regendo ecclesiæ patrimonio, Deo auctore, transmisimus, vestra gloriæ per omnia commendamus.

EPISTOLA IV.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM CONSTANTINOPOLITANVM.

De eo confirmationem apud imperatorem procurante amice conqueritur, & eius orationibus se commendat.

Gregorius Joanni episcopo Constantinopolitano.

De pontificatus onere
infr. ep. 5. 6.
7. & 25. &
ep. 26.

SI caritas virtus in proximi dilectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos iubemur, quid est quod beatitudo vestra me non ita sicut se diligit? Quo enim ardore, quo studio, episcopatus pondera fugere volueritis scio: & tamen hæc eadem episcopatus pondera ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo quia non me sicut vos diligitis, quia illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi nolulistis. Sed quia vetustâ nauim vehementerque cōfractam indignus ego infirmusque suscepi, vndique enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ, putridæ naufragium tabulæ sonant, per omnipotentē Deum rogo, vt in hoc mihi periculo orationis vestræ manum porrigatis: quia & tanto enixius potestis exorare, quanto & a confusione tribulationum, quas in hac terra patimur, longius statis. Synodicam vero epistolam subsequenti festinatione transmittito: quia latorem præsentium Bacandam fratrem & coepiscopum nostrum, in ipso meæ ordinationis initio, multis & grauibz pressus occupationibus, relaxaui.

Lib. cod.
ep. 41.

Infr. ep. 8.
lib. cod.